



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

899. An, & qualiter beneficia liberum & jurispatronatûs inter se uniri valeant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)



nomen & essentiam Cathedralis, ac jure cujusdam alluvionis evadendo pars seu membrum alterius; unde propterea antiqui fines confundantur, & illud territorium, quod prius stabat per se constituens unam Diocesim, fiat pars alterius Diocesis vel territorii: hæc inquam unio per alium fieri non potest, quam per Papam, utpote ad quem unice ac privative ad quoscunque pertinet, dioceses ac territoria unire vel dividere. Cardin. de Luca, loc. cit. n. 10. juncto n. 8. & in miscell. d. 1. n. 5. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 2. n. 1. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 6. Garc. p. 12. c. 2. n. 60. Coatergerque potest, ut ex hujusmodi Cathedralibus principaliter unicus una sit in provincia, & suffraganea unius Metropolitanæ, altera verò sit in altera sub diverso Metropolitanæ, seu etiam exemptæ, & immediate subiecta Sedi Apostolicæ. Card. Luc. ad Trid. loc. cit. n. 7.

*Questio 897. An, & a quo, prima dignitates in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis uniri possint?*

**R**espondeo: Eas uniri posse aliis, sed non nisi a Papa. Castrop. Azor. II. cit. Idem est de aliis consistorialibus, quæ Sedi Apostolicæ referantur, & ejusdem auctoritate affecta dicuntur. Azor. loc. cit.

*Questio 898. An, & qualiter beneficia diversarum Diocesium uniri valeant per Episcopum?*

1. **R**espondeo: Episcopus beneficiis, etiam simplicibus, etiam quacunque ex causis, puta cultus divini augendi gratiâ vel simili, suæ diocesis unire nequit beneficiis, vel etiam aliis piis locis alterius diocesis, Tridentino expressè id inhibente (sess. 14. c. 9. Ventrigl. loc. cit. n. 25. Gonz. loc. cit. n. 82. Castrop. loc. cit. §. 3. n. 10. Garc. p. 12. c. 2. n. 85. Azor. loc. cit. q. 14. Card. de Luca. ad Trid. d. 8. n. 18. Atque ita per hoc conciliare decretum correctum est jus commune, quo spectato, poterat aliàs Episcopus beneficia suæ diocesis cum beneficiis alterius diocesis unire, accedente alterius Episcopi consensu. Garc. Castrop. II. cit. citantes Caccialup. tr. de union. 4. 4. q. 13. & a. 6. n. 8.

2. Limitatur tamen responsio, ita ut possit & soleat quandoque talium beneficiorum fieri unio; dum nimirum idem Episcopus duas vel plures possidet Ecclesias cathedrales simul unitas, adeo ut de facto quod ad earum regimen pro una reputentur, eâ nimirum specie unionis, quâ in unum veluti corpus coalescant. Cardin. de Luca. de benef. d. 19. n. 12. & ad Trid. loc. cit. ubi etiam, quod si duæ dioceses sibi principaliter unitæ essent, adeoque non coalescerent in unum veluti corpus, adhuc iniret conciliare decretum, & utriusque illius beneficia sibi invicem uniri non possint. Quod utique multo magis dicendum, si hic & nunc per accidens duæ dioceses ab uno eodemque Episcopo possessæ gubernarentur absque dicta unione, etiam a quæ principali.

*Questio 899. An, & qualiter beneficia liberum & juris patronatus inter se uniri valeant?*

**R**espondeo beneficia libera collationis per Ordinarium uniri non possunt beneficiis juris patronatus. Castrop. loc. cit. §. 3. n. 20. Card. de Luca. ad

Trid. d. 8. n. 19. Riccius in pr. p. 1. resol. 393. n. 5. ver. imita. tertio. cum Leon. Thesaur. for. Eccles. p. 2. c. 18. n. 14. (quem Ventrigl. vocat originale auctorem hujus sententiæ) juxta dispositionem Trid. sess. 25. c. 9. eâ ducti ratione, ne beneficia libera in servitutem redigantur, induendo naturam juris patronatus, cui uniantur contra Lott. l. 1. q. 28. n. 165. ubi tradit, quod ethi contra regulas sit, liberum uniri patronato, permittum tamen etiam id sit Ordinatio urgente causâ; eò quod per hoc non censetur liberum redigere in servitutem, sed extinguere, & constituere prædium alterius, pro quo citat Rotam decis. 122. n. 2. p. 2. recent. Has repugnantes sententias ita conciliat Ventrigl. To. 2. annot. §. 1. n. 28. (sic decisum esse dicens a S. Congregat. ad cit. c. 9. prout referat Leon. loc. cit. in fine.) ut velit libera posse per Episcopum uniri beneficiis juris patronatus, ubi vel patroni renunciarunt juris patronatus, vel quando concordarunt, ut beneficium juris patronatus (intellige, habens sibi accessorie unum beneficium liberum) alteri unum provideretur unâ vice ad præsentationem patronorum, alteri a vice per liberam collationem. Atque ita intelligendam cum his restrictionibus, ait, sententiam Lotterii: extra vero illas limitationes manere intactam dispositionem Concilii.

*Questio 900. An manualia, & monocularia beneficia uniri valeant aliis beneficiis?*

1. **R**espondeo ad primum: Manualia, non factâ mentione manualitatis uniri nequeunt, & impetratio unionis non factâ eâ mentione est nulla. Card. de Luca. de benef. d. 97. n. 21. Patifac. res. sign. l. 10. q. 2. n. 38. (qui tamen subjungit n. 39. hoc procedere in beneficiis regularibus, utpote quorum manualitas sit de jure communi) Corrad. qu. benef. p. 1. c. 6. n. 266. ubi, quod gratia unionis tactâ manualitate in seculari sit subrepticia. item in idem n. 295.

2. Respondeo ad secundum: Pari modo beneficium monoculare (quale dicitur, cujus solius & unici conferendi jus habet aliquis collator) uniri nequit non factâ mentione monocularitatis. Lott. l. 7. q. 39. n. 5. ubi, quod si unio Apostolica reddatur nulla, si non sit factâ mentio, quod beneficium unum sit monoculare. De cetero nil vetat, quod minus tale beneficium, requisito illius collatoris consensu, uniri valeat alteri, etiam per Ordinarium.

*Questio 901. An, & quæ beneficia, & qualiter uniri potestas competat Episcopis?*

1. **R**espondeo primo: Præter ea, quæ jam in antecedentibus dicta sunt, competit vi jura communis, nempe c. sicut unire de excess. pastor. & c. Pastoralis de donat. Episcopo potestas unendi beneficia suæ diocesis. Barbol. juris Benef. l. 3. c. 16. n. 54. Garc. p. 12. c. 2. n. 62. Castrop. cit. p. 12. §. 2. n. 2. Ventrigl. loc. cit. §. 1. n. 2. Lott. l. 1. q. 28. n. 11. Pond. 99. benef. p. 3. c. 15. n. 1. Et quidem omnia, quæ exempta non sunt. Castrop. Pond. II. cit. sic Lotter. l. 7. q. 29. n. 40. cum Per. de Perus. tr. de union. c. 4. n. 28. ait: In respectu jure communi facultas unendi competens Ordinatio referretur ad omnia beneficia, præter Ecclesia Cathedralis & Religiosorum. Unde cum Garc. loc. cit. n. 63. citat Oldr. cons. 262. n. 2. & cum illis Ventrigl. l. 7. n. 23. citato Riccio in pr. p. 1. resol. 393. n. 4. tradidit, eum non posse omnia, nequidem simplicia suæ diocesis unire: vel intelligendum est de unione omnium